

è suo tantùm liripipio depròmunt distinctiones. Quid quæso est artem theoreticam & scientiam practicam statuere, nisi cœlum cum terra miscere? Quid sibi vult quantitas intelligibilis, quæ ne quidem intelligi potest? Hinc verò, quod negari certè non potest, omnis oritur difficultas distinctionis, quia rebus ipsis ea est commensuranda. Est enim distinctio nihil aliud quàm distincta cognitio. Cognitio autem omnis quemadmodum est facilis, si proportio & conformitas intercedit inter cognoscibile & potentiam cognoscentem; ita difficilis est & esse præsumitur, si disproportionem & difformitatem hæc duo inter se habent.

XXII. Hanc autem depreheudi in multis patebit si objecta cognoscibilia cum Intellectu cognoscente paululum conferamus & cognitionem, qualis esse debeat, etiam expendamus. Sunt objecta cognoscibilia *vel* supra prædicamentalia, *vel* prædicamentalia, *vel* infra prædicamentalia. Prima & ultima ad Intellectum profus sunt disproportionata: Illa ob excellentem perfectionem, quæ in altiori essendi ordine constituta Intellectum transcendunt & ab eodem ob *adynamiam* quandam nequeunt attingi, utut ob perfectionem suam quàm maximè sint intelligibilia. Hæc verò ob debilem Entitatem, nimiamq; exilitatem quæ intellectus vis & virtus in se sufficiens ad ea comprehendenda impeditur. Et talia sunt omnia, quæ de actu parùm participant, ut privationes, negationes, motus. &c.

XXII. Media autem seu Prædicamentalia sub intelligendi quidem potentiam cadunt, gradu tamen valdè dissimili. Quædam enim sunt superiora & de Entitate magis participant, proptereaq; sunt magis intelligibilia; quædam sunt inferiora, ut accidentia imperfectissima, proptereaq; minùs intelligibilis. Talia sunt Relationes, Passiones, quæ ob exilem suam Entitatem cognitionem nostram penè subterfugiunt.

XXIII. Cognitio autem sic se habeat necesse est, quomodo se habet ipsum esse. Hæc ratione res iucomplexa & indivisibilis, incomplexam & indivisibilem etiam exigit cognitionem. Quo posito distinctio ad Intellectu facta distinctionem in re ipsa præsupponat necesse est: Nec non ut de rebus quocunq; modo distinctis